



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||

Francisco <de Javier>

Mogvntiæ, 1600

VD16 J 197

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43721

ferrem ; laborari enim illis locis idoneorum hominum penuria, qui tanto tot locorum interuallo disiunctos Ethnicos populares suos IESV CHRISTI fide ac præceptis imbuant. Tu velim, quid super hac re actum sit, quàm primum facias me certiozem.

R. P. Ignatio Præposito Generali Societatis Romam. Epist. IV.

Gratia & caritas Christi D. N. &c.

EX vrbe Goa scripsi ad te verbosius de nostra ex Lusitania in Indiam nauigatione; nunc de mea in Comorinum Promontorium expeditione (quoniam ita vis Pater optime ac suauissime) paucis accipe. Profectus sum cum aliquot eius loci indigenis Goani Seminarij alumnis, qui ab ineunte ætate Ecclesiasticis ceremoniis instituti sacris iam ordinibus initiati sunt. Obiimus Neophytorum vicos, qui paucis ab hinc annis Christiana sacra susceperant. Hæc terra nequaquam à Lusitanis incolitur, vtpote quæ summe & sterilis est, & pauper; Christiani autem indigenæ destituti à sacerdotibus, nihil aliud norunt, nisi se esse Christianos. Nemo est, qui eis rem diuinam faciat; nemo qui Symbolum, Pater, & Aue, diuinæque legis præcepta tradat. Ex quo igitur huc veni, haud quaquam cessauit. Vicos sedulo circumibam.

cumibam; pueros omnes nondum baptizatos sacra abluebam aqua. Itaq; permagnum infantium numerum expiaui, qui, vt dici solet, plane ignorarent quid interesset inter dextram & sinistram. Pueri autem me neque diuinum officium persoluere, neque cibum sumere, neq; quietem capere sinebant, quoad aliquam deprecationem eos docuissem.

*Puerorum
Commodi-
tatem de-
scendi cupi-
ditas.*

Tum vero sentire cœpi *talium esse regnum Cœlorum*. Proinde cum tam pium postulatum non possem nisi impiè repudiare, initio factò à confessione Patris Filij & Spiritus Sancti, Symbolum Apostolorum, orationes Pater noster, & Aue Maria eis inculcabam. Animaduerti magna in illis ingenia, ac si foret, qui Christianis eos præceptis informaret, non dubito, quin perboni Christiani essent futuri.

Ex itinere in Ethnicorum pagum diuertì, vbi nemo volebat fieri Christianus, etsi finitimos pagos Christo adiunctos viderent. Quippe in Ethnici reguli ditone se dicebāt esse, qui suos populares Christi sacra suscipere prohiberet. Hic mulier quædam ad pariendum vicina tertium iam diem partus difficultate laborabat, vt à multis desperaretur eius salus. Atque vt impiorum imploratio inuisa est DEO, *quoniam omnes Dÿgentium Dæmonia* eorum preces haudquaquam audiebantur. Contulij me cū vno è comitib⁹ meis

meis ad parturientis domum; statimq; cepit fidenter *inuocare nomen Domini*. oblitus me esse in terra aliena. verum illud occurrebat, *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo*. Ergo fidei nostræ capita per interpretem explicare institui. Et illa DEI benignitate credidit his, quæ à nobis dicebantur. Demum rogata ut ù vellet esse Christiana, se vero, & libenter respondit. Ibi tum ego Euāgelio (quod nunquam ibi auditum esse arbitror) recitatum mulierem rite baptizavi. Quid multa? Sub baptismum peperit, quæ *in Christo sperauit & credidit*. Inde ego eius virum, ac liberos, & infantem illo ipso natum die, omnemque familiam per baptismum Christo peperit. Confestim toto pago miraculi diuinitus in ea domo patrati fama percipiebuit. Itaque ad primores adij, eisq; DEI nomine denunciaui, ut Christum eius filium agnoscerent, in quo vna conlisteret mortalium omnium salus. Negabant illi, nisi potestate à suo Regulo facta auitam religionem mutare se ausuros. Reguli igitur procuratorem conueni, qui forte ad exigendum Domini vectigal venerat. Is vbi me de nostra religione disserentem audiuit, affirmat Christianum esse, bonum sibi videri. Proinde se, omnibus qui vellent, Christi religionem suscipiendi facere potestatem. Sed qui bonum aliis consilium

Mulieris laborantis baptismus parsum facile præbet.

filium

filium dederat, sibi ipse non cœpit. Tum vero oppidani primarij cum sua quisq; familia primi ad Christi cultum se aggregarunt, horum auctoritatem cæteri sequuti sunt: omnes cuiusque generis, atque ætatis baptizati. His rebus ita confectis Turuchurinum recta contendimus. Ibi ab oppidanis perbenigne accepti sumus, atq; in spem venimus fore, vt ex his locis capiamus fructus animorum vberimos.

*Totius populi
baptizati*

Prætor hosce Neophytos mire amplectitur, ac fouet; eisdemq; nuper cum vexarentur à Saracenis, auxilium tulit. Piscatores vulgo sunt, maritimam oram incolunt. Seq; ac suos sustinent piscatu maxime margaritarum. His nauiculas quibus in piscando utebantur, Saraceni nuper ademerant. Id vbi rescivit Indus Prætor, ipsemet valida classe Saracenos adortus deuicit. magna que eorum cæde facta, omnes eis naues ad vnam eripuit. Neophytis locupletioribus sua restituit nauigia, tenuioribus scaphas condonauit Saracenorum. Ita insignem victoriam egregia liberalitate cumulauit. Atq; vt opem ipse diuinam expertus erat in victoria, ita Christianos suam experiri benignitatē voluit. Saraceni iacent afflicti, atque prostrati, nec quisquam inter eos est, qui oculos tollere audeat, cæsis omnibus eorum principibus, cæterisque qui aliquid viribus pollere vide-

*Neophytis
re Piscariis.*

*Prator Indiae fautor
egregius
Christiana
religionis.*

videbantur. Quamobrem Neophyti Præ-
torem quasi parentem diligunt: atque ab il-
lo vicissim liberum habentur loco. Dicitur vix
potest, quantopere ille nouellam hanc Chri-
sti vineam mihi commendarit. Nunc præ-
clarum quiddam molitur, & ad posteritatis
memoriam, & ad Christianæ religionis e-
molumentum. Hosce omnes Christianos
locorum interuallis disiectissimos certam
in insulam transcribere cogitat, eisque Re-
gem dare, qui ius dicat, eorumque commo-
dis, & saluti consulat. Si Pontifex Maximus
exploratum haberet, quam diligentem In-
diæ Prætor operam nauet religioni; profe-
cto illum pro egregiis suis in rem Christia-
nam studiis, atque officiis collaudaret. Pro-
inde efficies, si videbitur, ut literis ad eum
missis declaret, ipsius officia sibi gratissima
accidisse. Nec vero est, quod illi Neophy-
tos commendet (nihil enim cuiquam ma-
gis est cordi) sed potius, ut religiosissimo
Præsidi pro suo merito laudem tribuat, &
gratiam. Quippe cum tantopere Christianæ
rei consulat, tam solcite pro Christi excu-
bet grege, ne quid ab ethnicis lupis raptum
intereat. Tu vero utique ad eum scribas ve-
lim. tuas enim illi literas periuandas fore
certo scio. Simul Deum pro eo unam cum uni-
uersa Societate deprecaberis, ut diuinam il-
li opem impertiat, & perseverantiam in bene-
cceptis

cœptis. non enim qui bene cœperit, sed qui perseverauerit vsque ad finem hic saluus erit. Ego vero infinita DEI benignitate, & simul tuis, totiusq; Societatis sacrificiis ac precibus fretus cōfido fore, vt si in hac vita non licuerit, certe in beata illa, lōge maiore cum gaudio, nos reuisamus. V. Kal. Nouemb. Anno. post Christum natum. M. D. XLII.

Societati Romam. Epist. V.

Gratia & caritas Iesu Christi, Dom. N. & c.

TERTIVS annus est cum è Lusitania discessi; ex quo iam tertium ad vos scribo, cum vnas duntaxat à vobis literas in Indiam acceperim Idibus Februarij Anni MD. XLII. datas. ex quibus quantum cœperim voluptatis, DEVS est mihi optimus testis. Redditæ autem sunt duobus ab hinc mensibus, tardius videlicet perlatae in Indiam, propterea quod nauis, in qua erant, ad Mozambicum hyemauit. Ego & Franciscus Mansilla inter Comorienses Christianos cōmoramur, quorum permagnus est numerus, & valde augetur in dies. Cùm primum veni, sciscitatus sum ex eis, ecquam CHRISTI Domini nostri notitiam haberent? Verum percontanti mihi de fidei capitibus quid sentirent, quidue amplius iam crederent, quam antea Ethnici, nihil respondebant aliud, nisi se esse Christianos; & quod